

cium : qui cum paucis diebus opus confecisset , Barbadico ad Ficariolum relicto , cum Hemo & Sanuto legatis nocte profectus , mille passus infra hostium præsidium copias trajicere cœpit : ac quo tum quodque navigium præcesserat , ita suo ordine fluminis alveo jactis anchoris , in pontis speciem disponebatur . Et jam ad mille & octingenti equites peditesque in hosticum trajecerant , quando manifeste apparuit , non adesse tot naves , quæ pontem explere possent , idque illorum culpa evenisse , qui fluminis latitudinem non recte dimensi fuerant . Stabat itaque in adversa ripa fortissimorum hominum manus omni suorum præsidio exclusa : quo periculo Severinas commotus , vehementer excanduisse dicitur : superum hominumque fidem testatus , nisi quam primum naves expedirentur , quibus pons ante lucem jungeretur , fore ut paucorum stultitia lexitissimorum hominum manus , se & suis spectantibus , in adversa ripa ab hoste trucidaretur . Sed legatorum industria mature provisum , ut deducto in citeriorem ripam ponte , antequam hostis quicquam rescivisset , reliquæ copiaæ sint ultra flumen traductæ . Tum vero Herculani milites loco , quem præsidio tenebant , diffisi , bellicis instrumentis in subjectum flumen devolutis , injectaque munitionibus flamma , Ferrariam celeri cursu se receperunt . Horum exemplo & alii metu consternati plura loca quæ circa flumen Hercules communiverat deseruere . Quo accidit , ut totam Padi ripam , præterquam quod in Polesini fronte præsidium unum ab hostibus est retentum , continuo Venetus occuparit . Miles , ubi non flumen , non munitiones ullæ erant , quæ suos successus remorari possent , in Ferrariensem agrum effusus , villas & loca suburbana subito incursu diripit , direptaque incendio absumit . Est locus mille passus ab urbe , *Parcum* vulgo appellant : hunc primo Borsius muro circuiverat , sed Hercules plus agri amplexus , illum majorem in modum auxit intus :

*Severinas  
castra, Pado  
superato, in  
confpectum  
Ferrariae  
locat.*